



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLIII. ad annum DLXXVII.

**Parisiis, 1644**

XX. De virginibus, & reliquis castitatem profeſis, vel viduis, quae post  
mutatam vestem coniugio copulatae sunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15324**

sed vitii docet , dum seipsum non corrigit.

XX.

ANNO  
CHRISTI  
567.

Et quia in sententia papæ Innocentii ad Viëtri-  
cium episcopum Rothomagensem lata , legitur  
scriptum de virginibus quæ Christo spiritualiter nu-  
pserunt , & velari a sacerdote meruerunt , si postea  
nupserint , quod vix etiam ad agendam pœnitent-  
tiam mereantur accedere ; quia sic dicit : *Si enim de*  
*omnibus hæc ratio custoditur , ut quæcumque viuente*  
*viro alteri nupserit , habeatur adultera ; quanto magis*  
*& illa damnanda est , quæ ante immortali sposo se*  
*coniunxerat , & postea ad humanas nuptias transmi-*  
*grauit ?* Et adiecit : *Hæ vero quæ necdum sacro ve-*  
*lamine tectæ sunt , tamen in proposito virginali semper*  
*se manere simulauerunt , licet velatæ non sint , si postea*  
*nupserint , his agenda aliquanto tempore pœnitentia est ,*  
*quia sponsio earum a Deo tenebatur. Nam si inter homi-*  
*nes solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui ,*  
*quanto magis ista pollicitatio , quam cum Deo pœpige-*  
*runt , solui sine vindicta non debet ?* Post hoc de vi-  
duis adiunxit : *Nam si Paulus apostolus , si quæ a pro-*  
*posito virginitatis discesserunt , dixit eas habere damnationem , ubi ait : Quia primam fidem irritam fecerunt ,*  
*&c. Quis sacerdotum contra decreta talia , quæ a*  
*sede apostolica processerunt , agere præsumat ? vel*  
*quis , quod peius est , contra sententiam , quam vas*  
*electionis Paulus apostolus spiritu sancto ministrante*  
*promulgauit , aliud conscribere villa ratione*  
*præsumat , cum dicat ipse per Spiritum sanctum :*  
*Qui prædicauerit præter id quod prædictaui , ana-*  
*themæ sit ?* Et quorum auctorum valere possit præ-

27. qu. i.  
Quæ Chri-  
stio.

Cap. 12.

Cap. 13.  
27. qu. i.  
Hæ vero.

Galat. 1.

ANNO CHRISTI  
567. dicatio , nisi quos sedes apostolica semper aut in-  
tromisit , aut apocryphos fecit , & patres nostri hoc  
semper custodierunt , quod eorum præcepit au-  
toritas ? Nos ergo hoc sequentes , quod vel apo-  
stolus Paulus , vel papa Innocentius statuit , in Ca-  
nonibus nostris inserentes , statuamus obseruan-  
dum , vt nullus sacratam Deo virginem , quæ in ho-  
norem Christi vestem mutauit , aut rapere , aut  
competere , aut sibi coniugem sociare præsumat :  
quia etiam lex Romana constituit , vt quicumque  
sacrata Deo virginem , vel viduam fortasse ra-  
L. r. cod.  
Theod. De  
raptu vel  
matr.  
puerit , si postea eis de coniunctione conuenerit ,  
capitis sententia feriantur. Item : *Si quis non dicam* Cod. cod.  
l. 2.  
*rapere , sed attentare matrimonii iungendi causa sacram*  
*virginem ausus fuerit , capitis sententia feriatur.* Cum  
etiam in chronicis habeatur de virginibus genti-  
lium tempore , quæ se deæ Vestæ sacrauerant , post-  
missio proposito , & corrupta virginali gratia , le-  
gali sententia viuas in terra fuisse defossas. Si pro-  
fana colentes tali sunt sententia condemnatae ,  
quanto magis quæ in honorem redemptoris sui se  
veste mutauerint , & perseverare noluerint , vtique  
grauem debent expectare sententiam ? Sicut in A-  
relatensi Synodo habetur insertum : *De puellis quæ* Concil. A.  
rel. II. c. 32.  
*se voverunt Deo , & præclari nominis decore florue-*  
*runt , si post vigesimum quintum præsertim ætatis suæ*  
*annum ad terrenas nuptias sponte transferint , id custo-*  
*dendum esse decreuimus , ut cum his quibus se alligaue-*  
*runt , communione priuentur : ita ut eis postulantibus*  
*pænitentia non negetur , cuius pænitentiæ communio*  
*multo tempore differatur.* Cum etiam id in antiquis

Concil. Tom. 12.

Ggg ij

Concil. Mi- Mileuitanis Canonibus fuerit statutum : Item pla-  
leu. c. 26. cuit , ut quicumque episcoporum necessitate periclitantis  
pudicitiae virginalis , cum vel petitor potens , vel ra-  
ptor aliquis formidatur , vel si aliquo etiam mortis seru-  
pulo periculo compuncta fuerit , ne non velata moria-  
tur , aut exigentibus parentibus , aut his ad quorum cu-  
ram pertinet , velauerit virginem , seu velauit intra vi-  
ginti quinque annos aetatis , non ei ob sit Concilium , quod  
de istorum annorum numero constitutum est . Nos vero

quos lex perimi iubet , si cupiunt audire præconem ,  
volumus ut conuertantur ad vitam . Nam perimen-  
di sunt oris gladio , & a communione priuandi , si  
relicta sibi decreta seniorum obseruare noluerint ,  
& pastorem suum audire despexerint , & esse sepa-  
rati noluerint . Qui ergo in hac pertinacia dura-  
re voluerint , & plus in volutabro malæ conuersa-  
tionis permanere , quam se de vetito coniugio se-  
parare , perenni excommunicatione damnentur .  
Et quicumque episcoporum , aut presbyterorum ,  
vel diaconorum , aut subdiaconorum , eos com-  
municare præsumpserit , vsque ad Synodus ab  
omnibus episcopis excommunicatus habeatur . Et  
excludatur excusationis adiuentio , quam modo  
aliquæ dicere meditantur , quod propterea se ve-  
ste mutauerint , ne eas inferiores personæ macula-  
rent : cum non solum domini gloriosæ memo-  
riæ Childebertus & Clotharius reges constitutio-  
nem legum de hac re custodierint & seruauerint ,  
quam nunc dominus Charibertus rex successor  
eorum præcepto suo roborauit , vt nullus villam  
puellam absque parentum voluntate trahere aut

ANNO  
CHRISTI  
567.

JOANNES TURONENSE II. IVSTINVS IVNOR IMP.  
P. III. CHARIBERTVS R. FR. 505

ANNO CHRISTI 567. accipere præsumat. Quæcumque ergo timet violentiam , & non vult habere maritum , refugiat ad ecclesiam , donec propinqui possint eam principis imperio , aut sacerdotis vel ecclesiæ beneficio liberare & defensare , ac condigno sociare marito. Nam quæ se veste mutauerit , absque dolo in eo proposito quod disposuit, perseverare procuret. Illud vero quod aliqui dicunt; vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere ? cum omnes sciant quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidualis: quia solum propositum illi sufficere debet , sicut in Epaonensibus Canonibus a papa Auito , vel omnibus episcopis conscriptum est : *Viduarum consecrationem, quas diaconas vocant, ab omni regione nostra penitus abrogamus.* Et expressius decretum est in Synodo Arelatensi: *Pro fessas viduas, si in incontinentia perfriterint, cum raptoribus esse damnandas.* In prophetis legitur, quia de alienigenis contra interdicta Dei Hebræi sortiti vxores , populum Dei a gentibus superatum. post prædicante propheta, quia dimisere uxores & filios , & separauerunt se ab illicitis coniugiis , statim victoriam fuisse secutam. Quicumque ergo de laicis ingenuus cum talibus excommunicatis communicare præsumperit , excommunicatum se esse cognoscat.

X X I.

<sup>a</sup> De incestis vero coniunctionibus censuimus statuta Canonum vetera non irrumpi. Satis enim facimus, si in hac parte statuta prisca seruemus. Sed propterea fuit iterare necessarium, quia dicunt plu-

Ggg iij